

adhuc monendum restat. Nos terminum distinguimus ab axioma. Alii vulgò axioma vocant terminū complexum. Sed non satis philosophicè. Ratio dicta est *libr. 1. cap. 3.* Terminus enim propriè significat id quod terminat aliquid, & inde per metaphoram ponitur pro materiâ orationis. Itaque terminus in Logicis per alium tropum ponitur pro instrumento noëtico, quod regit materiam ad disserendum propositam. Jam verò axioma non dirigit istam materiam, sed formam, videl. dispositionē terminorum, ut & syllogismus & methodus. Moneamus & hoc. Thema simplex, quod est in axioma, non excludit terminorū multitudinem, sed opponitur themati composito, quale est in syllogismo: sicut nec argumentum hīc est unicus terminus, sed & multiplex esse potest, pro uno tamen generali putatur: ut, quicumque electus est ad vitam æternam, servabitur: desiderare auxilium gratiæ, est initium gratiæ.

Axiomatis considerandæ sunt partes, species, & communes affectiones.

Communibus affectionibus ultimum assignamus locū; quia multa in illarum doctrinâ occurrunt, quæ sine doctrinâ partium & specierum intelligi non possunt. Non igitur generaliter accipies illud: *Communes affectiones in methodicâ tractatione precedant species ipsas.*

Partes axiomatis sunt, ex quibus illud constituitur.

Suntque materia, & forma.

Materia axiomatis.

Materia axiomatis est realis, vel verbalis.

Illa dicitur signata, hæc signans. Omne siquidem axioma constat signatis, & signis; etiam mentale.

Materia realis, sunt termini reales vocibus significati.

Suntque subjectum & prædicatum.

Subjectum est pars antecedens, continens thema: *aliàs dicitur suppositum*, pars antecedens, & subjectum attributionis.

Prædicatum est pars consequens, continens argumentum-